

JUBILA

Seriis & joci permixta,

VIRO

NOBILISSIMO

DN. JOH. GEORGIO
NEUMANNNO,

Profesori Poëseos apud VVitebergenses
celeberrimo,

cum

ad d. ²⁰/₃₀ April. M DC XCI.

Nobilissima Virgo

CHRISTIANA ELISABE-
THA HOELTICHIA,

felicibus auspiciis

In Ejus thalamum deduceretur,

Consecrata voluit

antiquæ pietatis & amicitia memor

CHRISTIANUS VVEISE,

Gymn. Zitt. Reçtor.



ZITTAVIÆ, Typis Hartmannianis.

85
Vocor ad nuptias,
Vel si longinquitas obstat itineris,
Vocor ad gratulandi munus.
Maluissem hoc officio defungi citiùs:
Nunquam id fieri poterat tempestiviùs.

Dignus aliquando fui, qui Parentis essem loco:
Cur nunc reticeam, quod Parentibus est gratissimum?
Scis enim quem diem dixeris nuptialem?

Qui mihi natalis est,
Qui annum mihi jam inchoat quinquagesimum,
h. e. omnium consensu jubilæum.

Ut igitur jubilaré debeam, ætas facit,

Ut jubilaré libenter velim, Tu facis,

Sic jubilandi habemus, ego occasionē, Tu argumentum.

Nec displicere poterit hoc jubilum

Sive memineris me fuisse Præceptorem;

In his jubilis vivit benedictio;

Sive nunc agnoscas amicum & admiratorem;

Ipsa juvabit jubilandi & gaudendi societas.

Eqvidem non ignoro,

Cur jubilatum olim fuerit de anno quinquagesimo.

Annus enim erat remissionis, manumissionis, libertatis.

Quam felicitatem solum Rectoris nomen præcludit.

Quis remittat debita, singulis horis solvenda?

Quis mihi gratuletur *συστάχθειαν*, dum novis subinde
tabulis premor?

Tum eqvidem mea veniet libertas,

Cum in morte desierim numerare natales.

Forte meis jubilis non nihil deteret hæc ætas.

Quò propiùs imminent dies, de quibus dicam, non mihi
placent.

Ad *ἀκμὴν* perventum est.

Subsistendo regrediar,

Nec deficere me sentiam, sed defecisse.

Quid ingenio vel memoriâ valuerim,

Quid frustra speraverim, nunc intelligo.

Metam video, si non laboris, tamen honoris,

Cursus-

Academia Te videt Professore:
 Ast ubi redierit Ejusdem Natalis
 Vel ante hoc Jubilæum,
 Te videat Doctorem.
 Cæterum, qui, talia spero,
 Largissimam jubilandi materiam experior,
 Ut in jocos etiam resolvi gestiatur calamus.
 Nunquam enim memoriâ excidet Natalis meus,
 Quô novam Professor Poeseos cathedram es ingressus.
 Nunc pedes conficies, & ut græcè loqui liceat, Dactylos.
 Versusqve dabis, qui nomen tuum loquantur.
 Carmen ipsi placebit Heroicum,
 Quæ amorem & spondet & sperat invincibilem.
 Elegiæ prodibunt, sed non flebiles.
 Lyrica differantur, donec suis fidibus augeatur familia.
 Egregium vero Professoris specimen,
 Quæ lectum ingreditur ut Poësin hanc discat,
 Novis imbuta elementis,
 Egreditur ut Poëseos Professoris:
 Tuisq; carminibus jucundo semper rhythmo respondebit.
 Nam Germanæ fidei rhythmus symbolum est.
 Inde Collegium sit omnino Germanicum.
 In quo sit duplex Professor, nullus auditor:
 ac à semetipsis Professores accipiant sive salarium sive
 præmium.
 Si tamen ludere Latinismis libeat,
 Scire suffecerit, quid in Syllabarū quantitate valeat positio.
 Sic intelliget NEUMANNI mediam esse longam.
 hoc est, ut ego quidem interpretor,
 adesse longitudinis omen, in vitâ, in fortunâ, in lætitiâ.
 Plura vos vel cogitâbitis vel disputabitis.
 Nostrum est apprecari, Vestrum preces implere.
 Implebitis autem, si thalamo simul approqvinquet DEUS,
 Quem ut habeatis undiqvaqve benignum precor.
 Mihi sufficiet,
 Per Vos jocos & jubilis non caruisse
 Meum Natalem.

